

nostro, quod Benigna Dei ordinatione obtinemus, curs Nostras sollicite circumspicientes, reliqua inter continuo atque praecipue in votis habuimus; ut intentata in Anno adhuc 1737 nefando sane Graeci Ritus non Unitorum ausu, cumque infractione tranquillitatis Publicae, Marchensis Monasterij per Religiosos Graeci Ritus uniti, inde violenter expulsos, inhabitati Occupatio, Spolii Speciem manifesti redolens, Ipsa dictante Justitia debite vindicetur; Neque in hocce desiderio conquievit animus noster, verum benigne insuper memores Novellaris Legis, Articuli quippe 46 Anni 1741 reoccupationem praedicti Marchensis Monasterij nunc equidem suscipiendam non modo clementer decrevimus, verum etiam Eandem reoccupationem debite non minus, ac pacifice peractam, et in effectum deductam haberi ex informatione tum Eppiscopi Graeci Ritus Unitorum Palkovich, in Partibus illis constituti, cum et Generalis Comitis Petaczy, cui effectuationem Negotii hujus Benigne commisimus, cum peculiari, quod inde sane concepimus, Solatio edocemur. Injuria proinde, quae praedenotata praeuia admodum excessuosa Occupatione praelibati Marchensis Monasterij, tum Sacrae unioni, cum et Statui Publico illata extitit effectuada, Deo Auspice ejusdem reoccupatione, aliqua in parte jam reparata existente; suppersse adhucdum Nobis videbatur: Ut per realem antedicti Monasterij pro Parte Graeci Ritus Unitorum Resignatione, coepto Salutari non minus, atque Justitiae consono Operi, Votisque Nostris Suprema Manus imponatur. In hunc itaque finem clementer resolventes, ac Via Consilii Nostri Aulae Bellici disponentes, ut repetitum equidem Marchense Monasterium antelato Graeci Ritus unito Episcopo Palkovich proximius resignetur, pro aliquali porro resarcitione Damnorum Occasione praeattactae in praescripto Anno attentatae Occupationis memorati Marchensis Monasterij, per Ejusdem Incinerationem, et alias etiam illatorum, actu praehabita ibidem pro extructione illius Materialia, velut alioquin ex Fundis ad Idem Monasterium spectantibus, et a tempore praemissae violentae Occupationis per non unitos illegitime possessis, tum procreata, cum comparata retineantur, et in reaedificationem praelibati Monasterij propediem suscipiendam convertantur, reliqua vero cuncta quae Graeci Ritus non uniti Populi, et Homines, qui Idem Monasterium Marchense a tempore praedenotatae Violentae Occupationis incoluerunt, et Fundos eo spectantes possederunt, ad Se pertinere edocuerint, prout et campanae, si quae medio violenti hujusmodi Possessorii tempore comparatae fuerunt, ijsdem Graeci Ritus non unitis pro consumatione exterminij Ipsorum, qua Violentorum Ejusdem Monasterij ex praeintento cum Laesione publicae tranquillitatis Spolio usurpatorum restituantur; Insuper etiam clementer ordinantes, ut Monasterijs Graeci Ritus non Unitorum in Locis Gomerie et Plasky, in Generalatu Carlostadiensi sitis, quo videlicet Graeci Ritus non uniti Calugeri ad praeattactum Marchense Monasterium introducti transferendi venient, 600 fl. per Aulicam nostram in Ilyricis ordinatam Deputationem, non equidem ea ratione quod id Ipsum promeriti fuissent, verum unice ex Gratia Nostra Caesareo-Regia pendantur.

Hinc praemissa cuncta Fidelitatibus Vestris clementer hisce, eoque fine perscribenda esse duximus: quatenus Sua etiam ex parte ad effectum praemissorum omnium, in quantum necessum fore ijsdem videbitur, concurrere noverint; Disposito caeteroquin eo quoque: Ut penes idem Marchense Monasterium Militares excubiae quoadusque pro tranquillitate publica harum necessitatem exposcere memoratus Generalis Comes Petazy adinvenerit, serventur; solerter